

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De medicina tertii ordinis solari. Cap. XXVI

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

tae partis non fixae, cum hac terrae parte administratae quantitatem per ingeniorum subtilem conjunge modum per minima. Et sic ingenium hoc intentionis levationis ejus, per modum sublimationis dictum, quousque fixum cum non fixo levetur totaliter. Quod si non adveniat; addatur illi iterato vicissim non fixae partis quantitas; quousque ad elevationem illius sufficiat. Cum igitur elevata fuerit, reiteretur illius sublimatio quousque per hanc administrationis reiterationem figatur totum. Cum igitur fixum fuerit iterato cum non fixae partis quantitate, post quantitatem combibe, per ingenium tibi notum, quousque totum iterato levetur. Igitur iterato figatur, quousque fusionem praestet facilem cum ignitione sua. Haec enim medicina est, quae omne à perfectione diminutum corpus, omneque cujuscunque argenti vivi generis in lunare perfectissimum transformat corpus.

*De medicina tertii ordinis solari.*

CAP. XXVI.

Solaris igitur hujus medicinae praeparationi, non adurentis fit additamentum sulphuris per modum figentem & calcinantem cum astutiae industriam administrationi perfecte, atque solutionis modum multiplicem

tiplicem cum reiteratione multa ; quousque mundum fiat. His quidem administratione perfecta perveniente ; quæ per sublimationem perficitur. Et est hujus scilicet additamenti modus per reiterationem partis non fixi lapidis sublimationis cum ingenio conjungendi , quousque elevetur cum ea , & iterato cum illa figatur , ut stet. Et quanto hujus complementi exuberantiæ ordo reiteratur pluries : tanto & hujus exuberantia medicinæ multiplicatur magis , & illius magis augetur bonitas , & multiplicatur illius augmentum perfectionis maxime. Et nos quidem , ne mordeamur ab impiis , complementum narrabimus totum hujus magisterii , sub brevi sermone completo & noto. Et est illius intentio , ut per sublimationis modum , mundetur perfectissime lapis , & illius additamentum : Et ab hinc quidem cum ingeniorum modo volativum ex eis figatur ; dehinc vero fixum volatile fiat , & iterato volatile fixum. Et in hoc ordine completur arcantum preciosissimum , quod est super omnem hujus mundi scientiarum arcanum , & thesaurus incomparabilis : Et tu quidem exerciteris ad illum , cum laboris instantia maxima , & cum diuturnitate meditationis immensæ. Cum illa enim invenies , & sine illa non. Et huic quidem medicinæ reiteratione bonitatis administrationis , cum talis cautelæ

cautelæ industriâ, potest in præparatione lapidis evenire : quousque argentum vivum mutet in infinitum solificum, & verum lunificum, & non dependet, nisi in multiplicatione illius. Jam igitur laudetur sublimis naturarum Deus benedictus & gloriosus, qui nobis omnium medicinarum revelavit seriem, cum illius experientia : quam illius instigationis bonitate, & nostri laboris instantia perquisivimus, & oculo vidimus, & manu tetigimus complementum illius nostro magisterio indagatum. Sed etsi quidem hanc palliavimus, non miretur doctrinæ filius. Non enim illi palliavimus : sed malis & improbis eam tali sermone tradidimus, quem latere insipientem necessario accidit : & eodem ad illius inventionis perquisitionem prudentes allici. Filii igitur doctrinæ perquirite, & hoc excellentissimum Dei donum vobis solis servatum invenietis. Filii insipientes nequitia & malevolæ pravitatis immensa, ab hac scientia fugite : quoniam vobis est inimica & adversa, & vos in miseriam paupertatis constituet. Quoniam vobis penitus hoc Dei donum divinæ providentiæ est occultum iudicio, & denegatum omnino. Perquisitis ergo omnium medicinarum modis, nostri propoliti prosequentes initium ; ad eas quæ hujus magisterii perfectionem notificant, cum probationum causis abhinc transfundam est.

De